

BULLÆ ET FOLIA  
PRÆLIMINARIA

EPISCOPI

SYNODI

PROVINCIAE

FOLIA PRÆLIMINARIA

PIUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM



Quod a Nobis postulat ratio pastoralis officii, in eam curam incumbimus, ut omnes, quantum Deo adjutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilii decreta exsequantur; ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea quæ in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam, ac debitum ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, et gratias Deo persolvendas, quæ Romano Breviario continentur. Quæ divini Officii formula pie olim ac sapienter a Summis Pontificibus, præsertim Gelasio ac Gregorio primis constituta, a Gregorio autem septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset; necessaria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. Alii enim præclaram veteris Breviarii constitutionem, multis locis mutilatam, alii incertis et alienis quibusdam commutatam, deformarunt: plurimi specie Officii commodioris allecti, ad breviter novi Breviarii, a Francisco Quignonio tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Presbytero Cardinale compositi, confugerunt. Quin etiam in provincias paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut Episcopi in Ecclesiis, quæ ab initio communiter cum ceteris veteri Romano more Horas canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatim sibi quisque Breviarium conficerent, et illam communionem uni Deo, una et eadem formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se, ac pæne cujusque episcopatus proprio Officio discernerent. Hinc illa tam multis in locis divini cultus perturbatio: hinc summa in Clero ignoratio cæremoniarum ac rituum ecclesiasticorum, ut innumerabiles Ecclesiarum ministri, in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione, versarentur. Hanc nimirum orandi varietatem gravissime ferens, felicis memoriæ Paulus Papa quartus emendare constituerat. Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi Breviarii licentia permitteretur, totam rationem dicendi ac psallendi Horas Canonicas ad pristinum morem et institutum redigendam suscepit. Sed eo postea, nondum iis quæ egregie inchoaverat perfectis, de vita decedente, cum a piæ memoriæ Pio Papa quarto Tridentinum Concilium, antea varie intermissum, revocatum esset, Patres in illa salutari reformatione ab eodem Concilio constituta, Breviarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum a prædicto Pio Papa missum est. Ubi cum doctis quibusdam et piis viris a Concilio datum esset negotium, ut ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adjungerent, instante jam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem judiciumque Romani Pontificis ex decreto ejusdem Concilii relata est: qui illis ipsis Patribus ad

